II. *Epistola Viri Doctissimi* Johannis Hoogvlietii *ad* Jacobum Jurin, *M. D. R. S. Secr. De Epistolis duabus Posthumis Viri Celeberrimi* Antonij a Leeuwenhoek, *R. S. S.*

SEnex noster venerandus *Leeuwenhoekius*, jam in agone Mortis versans, ac nihilominus artis suæ memor, me ad se vocari jussit, attollensque oculos jam gravatos morte, verbis semiabruptis me rogabat, vellemne hasce binas literas ex vernaculo in Latinum Sermonem vertere, tibique, Vir Amplissime, mittere. Ut ergo hisce tanti viri, quo abhinc jam aliquot annos usus fueram familiarissime, parerem præceptis, non possum, quin tibi, Vir eruditissime, hoc extremum, Viri mihi amicissimi morientis, munus mittam, sperans fore ut hæc ultima ejus conamina tibi grata sint futura.

*Delphis in Batavis,*
*pridie Nonas Sept.*
1723.